

usus *Ernesto Segimundo Haupt*, qui cum esset extrema egestate, industria tamen et multa opera ad magnam opulentiam pervenit. Matrem e gente *Graezia* oriundam puer trimulus morte amisit, quare factum est, ut maternam mansuetudinem et caritatem desiderans adolesceret. Fratrem habuit unum natu maiorem, qui postea patris mercimonium recepit, quem, quam diu vixit, singulari pietate et caritate est amplexus. Sorores ei fuerunt tres, quarum una non germana, quippe ex priore patris matrimonio. Hos quinque liberos magna cura educavit mulier vidua quaedam nomine *Roesleria*, quam pater ex monte *Hercynio* domum suam ad hunc finem acciverat, matrona vegeti animi ac fortis; quae res *Ernesto Friderico* non sine magno fuit emolumento. Magistri fuerunt domestici, quorum institutioni iam ab exeunte anno aetatis quarto traditus est. Horum magistrorum prior, nomine *Flether*, homo pius ac probus, postea rector scholae *Seidenbergensis* in superiore *Lusatia* factus, ad summum senectutem vixit. Alter fuit homo levis, qui improba et immansueta duritie puerum tractare solitus, memoriae tantum facultatem in eo excolere studuit, quam insignem a faultrice natura nactus erat puer. Ceterum pueriles annos faustos habuit et iucundos, quos hilariter et commode in sinu paternae domus atque ad simplicem, quae illo tempore fuit, et antiquam vitae domesticae rationem transegit. Paedagogo dimisso puer privatas adiit scholas *Muelleri*, *Gymnasii* huius *Conrectoris*, qui erat egregius illo tempore iuventutis magister, cuius memoriam discipulus ad extremum vitae tempus caram habuit ac saepe pie recoluit. Exacto aetatis anno quinto decimo in huius *Gymnasii* disciplinam receptus⁴, atque, ut ferebant illo tempore instituta *Gymnasii* nostri, statim primi ordinis civibus adscriptus scholas magistrorum audivit per biennium, Rectore *Sinteni*, qui praeter alias virtutes eloquentiae maxime laude florebat, qua animos discentium arrectos tenere adeoque imbuere sciebat. Nondum annos natus septendecim *Gymnasii* limites transgressus patriam urbem reliquit atque in *Academiam Lipsiensem* ad altiora litterarum studia capessenda se contulit.

Ibi si suum ipsius solum sequi potuisset animi prolubium, theologiae studio sese dedisset, quando statio parochi rustici, hoc est,

4. In *Gymnasii* nostri tabulis his verbis inscriptum est nomen eius:

Ernst Friedrich Haupt, aus Zittau, alt 15 Jahr, Tit. deb. Herrn Ernst Sigismund Haupt, weilberühmten Kauf- und Handelsherrn allhier, iüngster Sohn. Class. I.